



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XVI. De psalmo, Domine quid multiplicati sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

MARTINVS SALTZBURGENSE. RUDOLPHVS I.  
P. IV. IMP. 627

ANNO  
CHRISTI  
1281. Monemus etiam religiosos quoslibet, vt circa  
prædictum statutum ordinationem recolendæ  
memoriæ domini Guidonis curent in uiolabiliter  
obseruare.

XIV.

Item statuimus, vt quicumque violenta san-  
guinis effusione cœmeterium vel ecclesiam exe-  
crauerint, ad expensas pro reconciliatione impen-  
dendas, execrationibus huiusmodi <sup>†</sup> teneatur. Si  
soluendo fuerit rebellis, per censuram ecclesiasti-  
cam a rectore loci auctoritate huius Concilii ar-  
ctetur: si vero soluendo non fuerit, alias pro ip-  
sius diœcesani arbitrio puniatur.

<sup>†</sup> Hec vo-  
cula in ma-  
nuscripto  
desidera-  
batur.

XV.

Item statutum bonæ memoriæ Guidonis con-  
tra patronos & iudices & præcones editum, qui  
bona inuadunt decedentium clericorum pro ne-  
cessitate temporis agrauantes, statuimus vt raptor-  
es rerum huiusmodi vacantium ecclesiarum ipso  
iure excommunicationem incurvant: & in locis,  
ad quæ eadem bona violenter ablata deducta illa  
eo fuerint, postquam hoc ecclesiarum rectoribus  
innotuerit, cessetur tamdiu a diuinis, donec sub-  
repta eadem successori defuncti reddantur, & in  
loca pristina reportentur, & alias satisfactio com-  
petens subsequatur. Et hoc statutum non solum  
ad futura, sed ad præterita extendatur.

XVI.

Item reminiscens Moysi serui Domini, qui  
hostes populi sui non ferro pugnando, sed prece  
orando deiecit, statuimus vt per præsentis anni de-

Concil. Tom. 28.

Kkkk ij

cursum in instanti aduentu Domini inchoandum,  
in singulis cathedralibus, conuentualibus & paro-  
chialibus ecclesiis, psalmus, *Domine quid multiplicati*,  
*p. sal. 3.* cum oratione dominica, & versu, *Fiat pax in vir-  
tute tua*, *Esto nobis turris fortitudinis*, & colle-  
cta, Deus, a quo sancta desideria, clerus, prouolutis  
in terram genibus, & erexitis in cælum cordibus, in  
Missa post tertium Agnus Dei quotidie semel di-  
cat: *Quatenus Dominus noster Iesus Christus, rex*  
*pacificus*, sedatis tribulationibus, & ecclesiarum  
persecutoribus & inuasoribus humiliatis, pacem  
in populo suo multiplicatis intercessoribus largia-  
tur.

## XVII.

Item ad falsariorum malitiam reprimendam  
diffinimus, vt qui clerici vel laici sigilla vel literas  
principum vel prælatorum falsare, vel falsis scien-  
ter vti præsumunt, aut etiam falsam monetam  
cudere, vel quodcumque æs seu metallum adul-  
terine fabrefacere, aut his omnibus vel similibus  
vti scienter præsumperunt, ipso facto sententiam  
excommunicationis incurvant. Clericis nihilo mi-  
nus, si de hoc conuicti fuerint, carcere episcopali  
mancipandis: laicis autem sacerdotali iudicio con-  
demnandis.

## XVIII.

Item constitutio Concilii proxime celebra-  
ti, quæ clericis de manibus laicorum, antequam  
per ordinarios instituantur, ecclesias recipientibus  
pœnas ingerit & infligit, in eo, quod experientia  
deesse docuit, supplere volentes, statuimus ut qui-